1433. d. 1. 9bris

Ex Orig. Arch. Reg.

329.

Super summam 70. marcarum Dobeslao de Sprowa villæ dictæ Babina inscriptio.

97

Vladislaus Dei gratia Rex Poloniæ, Lithvaniæque Princeps supremus et heres Russiæ etc. Significamus tenore præsentium quibus expedit universis. Quomodo attentis gratæ fidelitatis obsequiis, quibus celsitudini nostræ Strenuus Dobeslaus de Sprowa Subcamerarius Russiæ complacuit, et aucto fidelitatis studio plus poterit complacere in futurum. Horum itaquè intuitu volentes ipsum reddere consolatum, sibi septuaginta marcas numeri et ponderis Polonicalium quinquaginta paratas, quas nobis concessit, et viginti pro equis, quos apud ipsum recepimus, in et super villa nostra Babina in terris Russiæ et districtu Samboriensi sita, damus, donamus et inscribimus per præsentes per ipsum Dobeslaum cum omnibus et singulis utilitatibus, fructibus, dominiis, juribus et appendiis universis, utpote Przysiolki, quæ arte et ingenio

humano

humano ipsius Dobeslai expost collocari possint in fluvio dicto Sterbiansch tenenda, habenda, pacifice et quiete possidenda tamdiu quousque prædictæ septuaginta marcæ per nos aut nostros Successores sibi aut ipsius posteris fuerint plenariè persolutæ, quibus solutis prædicta villa Babina cum suis attinentiis possessio ad nos revertetur pleno jure, stationibus et juribus regalibus semper salvis, Harum quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Datum in Krosno dominico ipso die omnium Sanctorum, anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo tertio.

Ad relationem Magnifici Johannis de Koniecpole.

Ta Kopia przepisana iest z oryginału pargaminowego anni hilowanego, u ktorego wisi pieczęć na zawiasie pargaminowey d. 11. Maia Roku 1785.